lae potentum vi ereptae sunt. Multa pertulit senatorum illorum permissu et favore, qui Lutheri dogmata tuebantur hodieque tuentur et defensitant. Nam praeter id, quod de his, quae ad victum pertinent, ab conventu eius vectigalia contra ius et consuetudinem exiguntur, et praeter alias, quas in familiaribus et exteris rebus patitur iniurias, maiora sunt, quae sustinet in his, quae spiritum respiciunt. D. Assisialis Francisci fratres a pristinis temporibus soliti sunt sororibus Monasterii B. Clarae in his, quae ad doctrinas verbi divini, ad confessionem, ad missarum, ad mysteriorum, id est, sacramentorum administrationem spectant, assistere. At nunc iisdem fratribus, quod Lutheri haereses execrantur, interdicta est missarum celebratio, canonicarum horarum celebritas praedicatioque, et quidquid divini cultus est aliud. Et ita D. *Clarae Moniales* omni spiritus fraudantur alimonia. Ad hoc constituuntur illis sacerdotes et Monachi Lutherani, Apostatae, Veneris captivi, libidinum servi, sordidis contaminati connubiis, ut publicis concionibus sancta virginitate execrata, votorum transgressionem et contemptum atque profanas nuptias laudent, suadeant, praedicent. Huiusmodi blasphemiis, obscoenis fabulis et maledictis castae puellae coguntur assidere, et scelerosa dogmata (adhibitis, qui an assistant, observent) audire coguntur. Eadem fere patiuntur Moniales Coenobii S. Catharinae familiae D. Dominici. Haud multum dissimilia sub divi Aurelii instituto Christo militantes virgines Canonissae seu regulares puellae in *Billenreut* perpetiuntur. Verum domui illi sive monasterio ad *Nurmbergium* nemus sito veneranda *Veronica* Praeposita mater adiuvante se constantis pudicitiae cordataque sorore *Magdalena* ex

Senatorum Nyrmbergiorum *Kressa* familia procuratrice domus, procul hactenus omnem pessimi Lutheri abegit haeresim, nec admisso quidem quovis eiusdem labis concionatore, hoc est, satore scelerum. Fratres vero observantes D. Francisci regulam, quibus propter catholicae fidei constantiam *Nurmbergae* igni et aqua, etiam divino cultu interdictum est, ut scilicet inopia et iniuriis victi vel vota sua et catholicae ecclesiae obedientiam contemnerent, vel locum suum et domum (ut fere omnes alii eiusdem urbis Monachi) desererent, hucusque pio et humili patre *Jacobo Genger* praeside perstiterunt immobiles: quamquam non tanto, quanto olim numero, nam bissenos illic manére fama est. Hos pii quidam furtim alunt, et sarcopolae sive lanii carnium pastu illis nonnunquam etiam publice posthabito timore subveniunt.

Haec atque huiusmodi alia autore Luthero ad hanc sextam et decimam Octobris anni XXVIII. post MD. diem adversus ecclesiasticos et inter se agebant Lutherani, qui semet, cum nihil minus essent, iactabant esse et appellabant Evangelicos. Propterea quod Evangelium a Luthero in vernaculum versum et pluribus locis eversum corruptum et perversum et venenatis Lutheri glossulis contaminatum passim gestant, temere tractant et legunt, nescientes et immemores, quod non lectores et non auditores legis, sed factores iustificabuntur;*) et quod regnum Dei non est in sermone, sed in virtute, et quod littera occidit, id quod hodie quoque cum Iudaeis agitur. Hi enim non minus curiosi quam Lutherani libros legunt, atque norunt

*) Ad Rom. 2. 1. ad Cor. 2. ad Cor. 3.

leges, in quibus Christo teste de Christo scripsit Moyses, et tamen Iudaei*) tot annorum centuriis in suis, quos habent, quos legunt, quos norunt memoriter libris Christum non reperiunt, quem non legunt, ut illum agnoscant et inveniant, sed ut negare queant, et blasphemiis afficiant. Eodem nec absimili modo Luther, Evangelici sacras litteras vel legentes vel audientes iactabundique eas ipsas tenentes memoriter, ut suam temeritatem, suam inobedientiam et libertatem rarius**) noxiam quemadmodum consueverunt clamoribus tueantur, in sacro Evangelio Christum minime reperiunt, sed impingunt in saxum scandali, coecantur, contenebrantur, virtutesque et humilitatem praecipuum Evangelii fructum non inveniunt. Eo fit, ut cum quae memorata sunt, aliaque nihilo meliora faciant, Deo se putent grata plurimum exhibere obsequia. Ecclesiasticorum (quod non culpandum) execrantur avaritiam, et ipsi interim expugnabiliter inhiant divitiis easque sibi per fas perque nefas cumulant et aliena non metuunt diripere. Clericorum scorta persequuntur et pallacas, quod quisnam reprehenderit? sed plurimi interea libidine se maculant, nec horrent adulteria, et quod digne rideas, id quod sacrificuli scortum heri fuerat, si uxorem duxerit, hodie velut domina colitur. Hi vero tales ex scortatoribus mariti sacerdotiis (quae veneficia vocant) exuuntur ab Episcopis. Sed apud Marchionem *Georgium*, apud *Philippum Hassiae* Toparcham, apud *Nurmbergios*, *Augustanos*, *Ulmios* et plures imperialium huiusmodi clerici et apostatae Monachi scortis uxorum nomine iuncti vel honeste habiti perstant in sacerdotiis, aut si malunt, qui-

*) Io. 5. **) Ita cod. (l. carnis.)

buslibet instant artificiis. Talium vero Apostatarum et foedifragorum sacerdotum suggestu, suasu vel impulsu etiam, cum dudum in memoratorum principum ac civitatum imperialium imperiis satis arvorum, herbarum frondiumque benedictiones adversus daemonum iras et dolos a patribus institutae obissent sub ludibrium, admissaque superbia atque inobedientia impetrante ad homines Sathanas liberum obtinuisset accessum, eo vesania Luthericolae sunt perducti, ut hoc ipso tempore anni MDXXVIII. ipso domino Iesu Christo impiissimas admoliantur manus: nam cuius et Sanctorum in pluribus antea locis imagines passionis scilicet ac vitae virtutumque Xti et piorum monumenta confregerant, cremaverant, eiecerant ab ecclesiis, nunc sacrosanctum corporis eius Sacramentum ibidem proturbant atque in ecclesiis habere nolunt (quippe eius indigni sunt praesentia) et blatterant, indignum esse, ut in aediculis aut capsulis (alioqui mundis reverenterque asservatum) habeatur, quod ita pro devotione tutamineque fidelium nostri constituere observavereque maiores. Et miranda haereticorum stulta saevaque prudentia, iniustum rentur, ut Christi corpus asservetur (atque id quidem decenter) in ecclesia, quod non paucis mensibus in puellae adquievit utero, quodque ipsius Christi dignatione ab pessimis conspectum, flagellis dire caesum dilaceratumque varia poenarum specie, denique in cruce suspensum opprobriosissimae morti succubuit. Ei hi dementes sacrum corpus ecclesiis (tantum in maiorum patrumque contemptum) eliminant, quod ipsi absque devotione sine reverentia temereque quandolibet, et uti libet, etiam vino madentes ebriique (ut putant) consecrant traduntque sibi similibus, inobedientibus hae-

reticis, quorumvis scelerum contagione pollutis, aegrotis praeviae confessionis lavacro crimina tergere contemnentibus. At aiunt: Peccatores tantum poenitudine doloreque pro admissis assumpto mundari. Mundantur sane peccatores, si vere doleant peccasseque poeniteat. At si dolor verus sit, si vere pudeat delicti, si pigeat sceleris, humilis peccatorum confessio indicat. Cum vero qui confiteri contemnit, quis vera poenitudine teneri, quis reatum veniam consequi crediderit? Cur enim Christus ait Apostolis: quorum remiseritis peccata, remittuntur? quorum retinueritis, retenta erunt, nisi quia delictis attaminati sacerdotibus sese debeant ostendere, qui si peccatorem inveniant ex humili confessione vera duci poenitudine, ac si quempiam laeserit, illi paratum ablati redditione iniuriarumve abolitione satisfacere atque reconciliari, iudicent mundatum: hoc est, peccata remittant. Quem vero contumacem invenerint et affectum aliter, ligatum decernant, id est, illius peccata retineant. Verum haec omnia Lutherani derisui habentes respuunt, et cordium suorum sequuntur errores, unde et apud eos haeresum atque abominationum nullus est modus. Horreo scribens, quam nefanda circum sacramentum calicis impii illorum admittant sacerdotes. Alii, ut fama est, quod suo more potatis superest, fundunt in parietes, alii domum ferentes cum uxoribus, scortis epotant, dicentes: Post sua mysteria peracta sacramentum esse desinere. Iam quam foeda circa matrimonia patrent, quis non exhorreat? quidam vero uxores perosi suas opera data adulteriis se contaminant venientes ad dictatorem dicentes singuli: *Herr Burgermaister ich hab mein Ehe prochen, schaidet mich von meiner frawen, so wil ich ein andre nemen.* Alii causati uxo-

rum suarum infoecunditatem ducunt alias: alii alias comminiscuntur, et excogitant causas, praetextu quarum suas coniuges deserunt, et moechi se coniungunt aliis; quoniam vero similia tentarunt et foeminae, hoc malum non ita passim admittitur, quia non omnia, quae sibi indulgent viri, licere volunt uxoribus. Id tamen quidquid circa coniugium foeditatis per id tempus fit inconstantiae, Luther et Lutherani videntur hausisse ex his, quae *Erasmus Roterodamus* super septimo capite prioris epistolae D. Pauli ad Corinthios scripsit: nam illic quantum se contentiosi dogmatis protestetur auctorem non velle videri vel esse, optat tamen non solam adulterii causam haberi matrimonii dirimendi, sic enim plurimum saluti consultum esse putat. Hoc et quidquid ibi in annotationibus voluminis instar in eum finem disputando pro se congessit Luther et asseclae sui rapiunt ac veluti armis opera carnis protegunt: nam et quidquid in iisdem annotationibus sparsius in monachos, in sacerdotes, in episcopos scripsit Erasmus, id totum Lutherani vertunt in arma furoris: et ubi *Erasmus* quippiam optat, aut fieri velle innuit, ibi *Luther* totis viribus irruit. Denique *Erasmus* et haec scripsit super B. Math. Evangelio cap. videlicet undecimo: „Pauca erant, (inquit) Iudaeorum ieiunia, et tamen nemo capitale esse dixit, si quis illis ipsis statis diebus non ieiunasset. Nos quot gravamur inediis? ad quas non invitamur, sed cogimur sub poena, ut aiunt, aeternae damnationis. Iudaeis circa piscium et animalium genera sunt interdicta, sed ad esum non admodum expetenda: nos bonam anni partem piscium esu tabescimus, inedia disrumpimur. Nec aetati subvenitur, nec morbo, nisi legis relaxatio nummis redimatur.

Quin et festorum apud Haebreos mediocris erat numerus; nunc feriarum neque finis neque modus, quae cum primitus ad pietatis vocationem sunt institutae, nunc ad scelerum exclusionem tolli debebant, nisi sacerdotum avaritia suis rebus consuleret potius, quam verae religioni. Quid loquar de perplexis et inexplicabilibus votorum vinculis? quorum alia redimi possunt, sed immensa pecunia, alia nullo modo possunt. Iam matrimonii conditio quanto commodior Iudaeis, quam nobis? quot laqueis, quot tricis coniuges involvimus? Poenitentiae et confessionis sacramentum quibus modis arctavimus? quot hominum decretis impeditum reddidimus? ut ne quid dicam interim de onere precum, quae quotidianis etiam accessionibus aggravantur. Ad haec quasi parum sit legum et constitutionum decretalium, in dies novarum constitutionum examina prorumpunt. Sacerdotium adeo perplexa est res, ut Aristotelicam philosophiam omnem perdiscas citius, quam praxim sacerdotiorum."

His, talibus et eiusmodi vocibus et annotationibus et passim in aliis scriptis id effecit *Erasmus*, ut vel dictum sit, vel creditum, ipsum non solum fautorem sed adiutorem etiam et propemodum auctorem esse Lutheranae factionis. Id dum intellexisset ex *Guilelmi Montioy* illustris Baronis litteris *Erasmus*, ita diluit in epistola ad eundem, quae in epistolarum ipsius farragine ponitur. „*Lutherum*, inquit, exoriturum, qui potui divinare, qui meis scriptis abuteretur? Jactant enim, eum quaedam e meis scriptis hausisse. At quo pacto queam praestare, ne quis meis scriptis abutatur, cum plurimi abusi sint libris Evangelicis? Et ta-

men si quid Deus mihi praedixisset, hoc saeculo exoriturum quendam, aut non scripsissem, aut aliter scripsissem: non quod perniciosa scripserim, sed quod non omnia quovis tempore recte dicantur.“ Haec ita pró se dixit *Erasmus*. Nos si quid bonae frugis, si quid virtutis et publici commodi prodibit ex Lutheranismo, in duos referamus, qui D. patris Augustini fuerunt alumni, ... et in *Erasmum*, qui tamen utrique ab ipsius Augustini recessere instituto: Nam *Erasmus Hollandis* canonicus fuit, quos *regulares Hollandi*, ac *Geldrenses Clinardos* agnominant, summi reor pontificis indulgentia habitum posuit, ut litteris posset vacare liberius. Et utinam haec eius opera studiosis virtutis, quantum eruditionis adiecerit. Luther vero fratrum Eremitarum D. Augustini habitum simul et vitae instituta propria temeritate reiecit. Et pulchre quadrat, ut desertoris et apostatae mores atque dogmata tueantur, et doceant Apostatae monachi periuriique et foedifragi sacrificuli. Atque hoc ipsum hoc in tempore agunt. *Nurembergae* quidam in aede *D. Laurentii Andreas Osander*, cui patria *Gunzenhusa* est, et hic quidem sacerdos Apostata. In aede *D. Sebaldi* eodem fungitur officio *Dominicus Schepper*, quem ordinem D. Augustini regularium deseruisse aiunt. At in aede Ptochotrophii, quod hospitale vocant Lutheranismo praesidet *Wenzeslaus Link*, ordinis Eremitarum (ut Luther ipse) desertor, atque illius instar foedo pollutus connubio. Hos et si qui alii ibi sunt Lutheranae haereseos professores, tutantur *Hieronymus Ebner* et Caspar *Nüzel*, viri senatorii ordinis, quorum uxores nihil minus quam mariti eidem negotio patrocinantur. Adest illis maximo consensu *Lazarus Spengler, Norimbergensis* scriba senatus. *Augustae* vero quidam

Carmelitanus Apostata, qui vulgo doctor *Frosch* appellatur, profani Lutheri dogmata ore spurco et impudente lingua coaxat, et *Urbanus regius* sacerdotali stirpe progenitus *Augustanorum* sese flaminem esse ratur et maximum pontificem. Post hunc *Michael Keller* in *Minorum monasterio* haeresium profundit seminaria. *Nordlingensibus* autem *Theobaldus* a *Pillikaim* pro concione Lutheri dogmata tradit. Hunc aiunt modo iubere venerari atque invocari sanctos, quod cum coeteris Lutheranis dudum irriserat, libelloque edito asserere, missam esse sacrificium, quod sicut ante negaverat: faterique, se nonnihil intellectus consecutum ex patrum, id est, catholicorum doctorum lectione, quorum scripta Lutherani passim reiiciunt: apud quos hi doctores, quos vocamus scholasticos, uti sunt: pius pater *Bonaventura*, *D. Aquinas*, *Richardus* et similes derisui prorsus habentur et contemptui; siquidem Luther, evangelici viri, puellae, foeminae sacras ex amussi se rentur nosse litteras, et ob id omnium priorum atque piorum contemnunt commentaria. Quod si uspiam glossemate videatur opus esse, Lutheri discipulorumque eius recipiunt interpretationes, et eas cupidissime quae blasphemiis in Romanum pontificem inque reliquos ecclesiasticos scatent et exundant. *Conradus Rothenakher* eiusmodi doctrinis *Ulmenses* pascit et inebriat. *Onolzbachii*, ubi illustris Marchionis *Georgii* domicilium est, *Joannes Ruerer a Cronach* Lutheranae doctrinae sator et signifer est. Hunc post Marchionem potenter tutatus est Joannes a *Schwarzenberg* Baro et *Georgius Vogler* cancellarius, quem illustris Marchio *Casimirus* ob nescio quod facinus anno priore custodiae tradiderat: hic anceps et ille Baro *Casimiro* vita functo Marchionem *Georgium Casimiri* il-

lustris fratrem eo pepulere, ut posthabito foederatorum mandato huius MDXXVIII. anni mense Octobri, quo haec scribo, sacerdotes parochianos suo in Marchiatu degentes *Onolzbachium*, quod vulgus *Onsbach* vocat, dira minatus acciverit: de vitae qualitate deque eruditione et doctrina probandos, id, quod si episcopi facerent, recte factum nemo non fateretur. Praesident vero huic negotio Marchionis vel magis aucupis illius apud Marchionem omnipotentis iussu *Ioannes Ruerer*, Valentinus *Kifer* ut putatur iurisperitus, *Andreas Althaimer*, plebis oppiduli pastor: atque hi ipsi tres apostatae sacerdotes connubiis execrandis Veneri sacrificantes atque devoti. His arridet e nobilitate Ioannes *Neusteter*, qui pridem uxore sua adhuc viva aliam duxit publice. Ex civibus illis adest (ut puto) *Hamer* quidam, in cuius aede cauponaria (nisi fallor) conflatorium est, quo colantur et probantur filii Levi, id est, sacerdotes examinantur. Hi igitur sunt viri, quibus credita sunt eloquia ab aucupe vel a *Schwarzenbergio:* hi columnae, quorum humeris sustinetur et fulcitur evangelium non plane Christi, sed Lutheri, imo diaboli. Est enim et quoddam diabolo bonum, cum sub boni specie, cum sub evangelii velamine negotium rarius agitur, cum rapaces lupi et luxuriosae sues turturum pennis et ovium pellibus se contegunt. Hi sunt, quorum in ore nihil frequentius quam evangelium sonat, quorum in corde nil minus quam evangelium versatur. Quis enim unquam evangelii sator aut veri atque incorrupti verbi Dei praedicator incredulos minis aut iniuriis coegit a perfidia sua discedere, quomodo isti aut eorum suasu illorum principes catholicos ac pios compellunt ab obedientia, a virtute, a pietate, a castitate desciscere? De-

nique illi ante memorati examinatores et putridae columnae postea quasi a sacerdotibus, an credant vivorum orationes pro defunctis, an Christum tum primum credant factum Deum, cum ascendit ad coelos, et id genus similes naenias postquam sciscitati sunt, tunc exigunt, ut sub fidei promisso spondeant nihil in ecclesiis suis se latine canturos: nunquam nisi adsint Boemorum ritu communicaturi celebraturos: Sacramentum dominici corporis in ecclesiis non subituros, parvulos nonnisi dominicis diebus (mortis periculo dempto) baptizaturos, vigilias et missas, quas vocamus defunctorum anniversariaque nunquam celebraturos aut oblocuturos: et haec omnia duntaxat in catholicae ecclesiae, patrum, piorum maiorumque despectum. Ad haec cohortantur sacerdotes, ut votis spretis ducant uxores, videlicet et plures habeant aliquando poenarum socios, et nunc facinorum et dedecoris consortes, sicque omnibus hircos esse liceat in regione hircorum. Cum enim ut vulgus loquitur, scorta sua ad ecclesias duxerint, tunc cum illis ut putant sancte et licite pergraecntur ac libidinantur, quod in ecclesiae catholicae damnant sacerdotibus, et ego vehementer improbo et reverendissimi praesules olim magno prudentique consilio corrigere debuerant. Dum vero in *Onolzbach,* quae memorata sunt, similiaque fiunt, *Ioannes a Schwarzenberg* Baro Lutherani tutor et assertor evangelii dudum asthmaticus *Norimbergae* moritur Octobris XXI. die anni huius MDXXVII. Quae vero in Marchionis provincia aguntur, ferme apud *Nurmbergios* fiunt. Ut enim quondam Pilatus et Herodes dissidiosi Christi ludibrio contumeliisque sunt facti concordes, ita nunc Marchio et *Nurmbergii* a cunctis retro saeculis fere semper animis dis-

iunctissimi in ecclesiasticorum persecutionibus amice conveniunt. Conveniunt cum his *Ioannes Saxoniae* dux, princeps, elector et *Philippus* Toparchus *Hassiae*, cum quibus Marchio *Georgius* iis ipsis ultimis Octobris diebus *Coburgae*, ut fama et opinio est, de Lutheranismo fulciendo consilia communicat, atque ut putatur Caesari adversum adeoque et vetitum ac foedum icit foedus: nam quantum hi principes et complures imperii civitates Lutheri dogmata defensitant, tantum ea execratur et persequitur *Ferdinandus* illustrissimus *Ungariae et Bohoemiae* rex, archidux *Austriae* piissimi Caroli frater Caesaris Serenissimi. Illustres etiam *Wilhelmus* et *Ludovicus* germani *Bavariae* catholici duces in Luthericolas animadvertunt severissime. Idem agit illustris illorum frater *Ernestus* Patauiensis ecclesiae administrator sagacissimus reverendissimusque. Caeteri antistites etsi illis, ut par est, Lutheri Lutheranorumque negotia displicent, minus tamen quam quibusdam cordi esset, severe adversus illos agunt, principum reor et imperialium civitatum veriti concordiam. Id vero imprimis nos, qui catholicam et romanam sequebamur ac reverebamur ecclesiam, non parum moleste habebat, quod neque summus pontifex neque quisquam reverendissimorum episcoporum per id omne tempus sese vel palam praedicando vel scribendo erroribus obiiceret, ut olim D. Patres *Augustinus, Hieronymus, Origenes* quoque et *Ambrosius, Leo* sanctus papa, *Hilarius* coeterique pii fecerunt episcopi. Unus hac tempestate *Roffensis* antistes adversus Lutheri haereses insigne volumen edidit, sed is, reor, Anglius est, et non in Germania, sed in Anglia scripsit. *Germaniae* vero episcopis ob Lutheranorum pervicacem punendamque malitiam, id reor acci-

accidit, quod olim Deus ad Ezechielem dixit: Linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, nec eris illis vir obiurgator, quia domus, id est, gens contentiosa, sive ut nos legimus, exasperans aut iurgatrix est. Scripseruut tamen adversus maledicti Lutheri insanias praeter illustrissimum Angliae regem *Henricum VIII.* et praeter *Jodocum Ascensium Parisiensem* praeterque alios exterarum nationum viros hi germanici nominis viri teutones lingua vernacula atque latina *Ioannes Eck, Joannes Cochlaeus a Windelstein Nurmbergae* vicino oppidulo. *Hieronymus Emser, Thomas Murner, Joannes Fundling* Minoritanus, *Caspar* etiam *Schazger* eiusdem ordinis aliquoties minister, immo praeses venerabilis, vir, dum viveret, integer vitae et inter suos virtutum exemplar, sic enim a pluribus annis cognitus mihi erat. Huius ingenium atque patientiam mordacissimis scriptis atque convitiis exercuit *Ioannes a Schwarzenberg* Baro, homo latini sermonis omnino nescius, tantum ex Lutheri libellis ardere et maledicere doctus, quo genere et libellum vernaculo scriptum eloquio edidit. Sic omnes viri atque foeminae scribendi et docendi vindicabant sibi munus. Inter foeminas vero praecipue *Angela* *) *Friderici a Gruenbach* coniux ex Baronum a *Stauff* Bavarorum familia progenita. At nunc eadem saevire desiit, forsitan Bavariae duces verita. Ipsis illustribus ducibus a consiliis adest *Christophorus a Schwarzenberg* praeter natalium stemma utriusque linguae graecae et latinae peritia corporisque maiestate et prudentia clarus et persecutionem passus est. Hic *Casparum Schazger* pium alioqui patrem multo est amore prosecutus, unde et illum pater

*) Argulae Staffiae Grumbachii uxorem innuit.

infensius oderat. Hic clarus *Christophorus* iuvantibus se nobili *Leonardo ab Eck* iuris scientissimo et inter *Bavaros* clarissimo *Augustinoque Lescho* legum perito atque *Bavariae* cancellario, *Francisco-que Burkhardo* Ingolstadiensi iuris et canonum professore celeberrimo, viris catholicis cum illustribus suis ducibus Lutheri haereses a *Bavaria* arcet magnanimiter: nam et *Monachii* magistrum curiae agit. Hic vero posteri nosse volent, quidnam inter haec et ad ista, quae per Lutheranos fiunt fortes et potentes fecerint foederati. Scire proinde oportet, foederatorum unionem prius constitisse, quam christianae veritatis et pacis turbator et hostis Luther innotesceret orbi, unioque ipsa foederatorum eo maxime et in Summa respicit, nequis eius unionis et foederis particeps ac concors contra ius in sua possessione deturbetur aut spolietur bonis. Hic fit, quod super iis, quae circa fidem vertuntur quaestionibus, quo res lutherana maxime spectare videtur, foederati ut consulant, ad se non magnopere arbitrantur pertinere. Quia vero in foederatorum scitis (quae vocant articulos) cavetur, ne quis spiritualium principum, id est, episcoporum iurisdictione spolietur, et apud Lutheranos sacerdotes in ius saeculare civileque trahuntur civium iugo subiecti, quo iure episcopi decidunt privanturque suo. Existimant plurimi, foederatorum nteresse, ut de iis consultare, episcopis opem ferre atque in reos animadvertere debeant. At quod non pauci inter foederatos Luthero favent, ea atque alia contra ius fasque patiuntur episcopi. Isti vero reverendissimi reverendique antistites hoc tempore et MDXXVIII. anno in cisrhenana superiorique Germania singulis praesident dioecesibus: *Moguntinae* quidem *Albertus* Marchio a *Brandenburg Jo-*

anne principe electore in *Marchia* progenitus, *Spirae* autem *Georgius* dux, comes Palatinus, eius germanus dux *Heinricus Traiectensem* atque *Wormatiensem* episcopatum administrat. *Argentinensi* ecclesiae praesidet R. P. *Wilhelmus* comes ab *Hoenstein*; *Basiliensi Leonardus a Gundolzheim, Constantiensi Hugo a Landenberg, Salzburgensi Matthaeus Lang, Pataviensi Ernestus* dux *Bavariae, Frisingensi Philippus* dux, comes Palatinus. Huius frater *Ioannes* dux administrat *Ratisbonensem, Dryospolensem,* quae vulgato vocabulo *Eystetensis* a quercubus dicitur, in annum iam trigesimum secundum gubernat R. P. dominus meus Gabriel ab Eybe, qui Germaniae principes universos superat prudentiaque non cedit ulli, ac septuaginta atque tres aetatis habens annos visu, auditu sensuque valens semel duntaxat e vena misit sanguinem, neque cucurbitulis, ut solent Teutones, usus est in balneis. *Bambergensis* ecclesiae praesulatum R. P. *Wigandus a Redwitz* obtinet, *Herbipolensis Chunradus a Thuengen, Augustanae Christophorus a Stadion*, atque hi fere omnes ab Lutheranis afficiuntur iniuriis. Nisi forte Frinsingensis antistes, qui quasi media residet in *Bavaria,* e qua duces illustres haereticos omni quo valent eliminant studio: nam in illorum ducatu raro quispiam lutherisat impune. Id ipsum fieri aiunt in provinciis illustrissimi *Ioachimi* Marchionis *Brandenburgensis* principis et electoris et illustris *Georgii* ducis *Saxoniae*. Fertur etiam, Lutheranam pestem necdum transiisse *Coloniam*. Quousque vero in nostra superiori Teutonia suos venenatos protenderit palmites, et quousque erroris, horroris et desolationis ab anno MDXXI. ad hunc XXVIII. Lutherani vel Luther evangelici progressi sint, sub hoc MDXXI. malui summatim re-

censere, quam quid singulis his supra egerint aut tentaverint annis, excepto *bello servili agrestium* vel rusticorum, de quo suo in loco dicendum est. Porro Lutheranorum, qui se Evangelicos agnominabant, omnis Christianismi ratio haec erat, ut de sola fide gloriabundi praesumentes opera spernerent, et quidquid summis olim pontificibus conciliisque placuisset, abominarentur atque contemnerent.

Belgradum, quod Teutones *griechisch Weissenburg* vocant, maxima christiani orbis iactura hoc anno a Turcarum tyranno subactum est cum regione finitima. Prodente perfido quodam Ungaro, oppidi praefecto, res acta ferebatur. Eius perditio loci plurimum spei Turco sanguinario, Christiano populo timoris attulit plurimum. Tunc enim patefacta est porta belluae crudeli adeundae aliquando *Ungariae,* ac deinde reliqua quoque Christianorum regna atque provincias rapiendi; sic etenim *Amurathes* Turcarum imperator, dum id ipsum obsideret oppidum, tempore *Uladislai* regis *Poloniae* et *Ungariae,* qui anno domini MCCCCXLIIII. prope *Varnam* et *Euxinum* contra Turcas fortiter, at non feliciter pugnans cecidit, dixit ad milites: quicunque habuerit in potestate oppidum, quod obsidemus, habet non solum quoddam veluti pignus et stabilimentum rerum suarum, sed arcem etiam et munimentum efficacissimum alienis subiugandis. Iterumque ferox tyrannus suos adhortatus, uti viri fortes essent laboremque oppugnandi *Belgradi* subirent impigre. Inter coetera dixit: Id sane est oppidum, per quod (ubi a vobis expugnatum fuerit) nostra omnia tuta pacataque nobis reddantur, hostibus vero (hoc est Ungaris) sua infesta praedae-

que ac populationibus nostris exposita. Si annilimini, si virtutis nostrae memores cras oppidi muros superabitis, vicimus milites non in praesens, sed in perpetuum: nam ut victoria haec nostra omnia veluti septo quodam et muro nobis denudabit atque patefaciet. Hactenus cum natura luctati sumus. In confragosis praeruptisque *Bulgariae* atque *Rasciae* montibus fames, sitis, desperatio vincenda fuit. Vicimus haec non alia mercede illecti, quam ut beatae Ungariae opulentiam aliquando attingeremus. Hinc iam militiae nostrae praemia, hinc gloria nititur. Ad portas ventum est, quibus patefactis non saxa inaccessa, non inviae solitudines emetiendae nobis, sed per loca natura ipsa et humano cultu amoenissima ingrediemur, hominum iumentorumque alimenta omnis generis non ad necessitatem modo, sed ad luxuriam etiam coeli temperies solique ubertas suppeditat. Quidquid alibi operosa cura vix educat, illic sua sponte fert terrae benignitas. Aurum quod alii mortales rarissimis in locis laboriosissime effodiunt, Ungari velut quoddam virgulti genus petulans decerpunt. Vestrum est, milites, (aiebat tyrannus) an ad ea omnia perpetuum vobis aditum cras fortiter pugnando aperire velitis. Hoc et eiusmodi sermone, uti scripsit *Callimachus*, Amurathes bellatores suos affatus est, et in pugnam acuit. Verum ipsa bestia Deo protegente, voto suo fraudata est: nam oppidum praefecti fide et oppidanorum virtute Deo propitio contra irruentes Turcos tunc egregie defensum fuit, quod nunc praefecti et Ungari perfidia Turcis traditum est. Quam vero vera de *Belgrado* (si a Turcis obtineretur) Amurathes dixerit, sequens annus MDXXVI. aperuit. Dum autem Turcae capto *Belgrado* imminere crederentur *Ungariae*, Wilhel-

mus *Bavariae* dux plaustra quaedam lanceis onerata misit in Ungariam: miserunt et *Nurmbergii* et *Augustani* tormenta bellica, pilas et non parum incendiarii pulveris in subsidium. Descendit et *Caspar Winzerer*, auratus miles, Bavarus genere et bellicae rei peritia nobilis cum non paucis iuvenibus *e nobilitate Bavarica*. Sed hos omnes et omnia sprevere *Ungari*, vel illorum primores ac sine honore dimiserunt. Iam tunc eo facto proditores se et Ungariae et superiorum regionum fore, testati quorum perfidia nobilissimus rex illorum Ludovicus deinde et regnum et vitam amisit, sicuti suo loco denuo scribetur.

Anno domini MDXXII.

Adrianus VI. Max. Pont. Augusti die ultima Pontificatus coronam Romae suscepit. Tunc enim primum ex *Hispania* venerat, cui gubernandae fuerat praefectus a caesare *Carolo*, cuius pueri vel adolescentis exstiterat paedagogus. Eius deinde opera *Detursensis* episcopus factus, ac demum summi ordinis institutum numero ascriptus tandem etiam supremi gradum sacerdotii adeptus est. Traiecto inferiore patre pistore, ut quidam aiunt, genitus est theologiae professione insignis ob integritatem morum *Carolo* postea caesari erudiendo ordinatus est magister, ac postmodum per diversos dignitatum accessus ad summi pontificatus apicem conscendit. Maximam de hoc pontifice spem conceperant omnes, quibus christiana religio cordi erat; sed livida mors nobis invidit illum, et haec infelix aetas praesentia eius non fuit digna, ac ut reor probum ac sanctum papam (praesertim si germanus et Teuto sit) romana tellus diu sustinere non potest. Hinc certe forsitan maximi excogitavere

pontifices, quod sese gestari faciunt, ne pedibus contingant humum, quae se a bonis calcari diu non patitur. Mortuus est bonus hic pater posteaquam anno uno ac ferme diebus XV. pontificatum tenuerat, videlicet Septembris die XIIII. anni MDXXIII. Veneno illum petitum asserebant quidam, quod malum extinguendis pontificibus magnetes e medio tollendi Romae, ut aiunt, solenne est. Hic pius vir cum praesentiret, viribus se destitutum iamque decessui fieri proximum, coram se sacra celebrari Christique redemtoris sacro corpore se pasci atque ad iter illud roborari ac muniri se fecit. Deinde donec illi linguae usus et ratio fuit, summi ordinis viros, qui sibi aderant, ad bona quaeque cohortatus suasit, ut si sibimet, si ecclesiae, si christianae reipublicae optime consultum vellent, caesari Carolo fideles existerent, fore enim ut illo fautore et amico optata pace fruerentur. Hoc pii patres posthabito consilio quam recte sibi, immo quam pessime suis rebus ac sibi romani consuluerint, suo postea didicerunt exitio.

Daciae regem *Christiernum* hoc anno regno depulsum a suis auxilium illis *Holsatiae* sive *Holstadii* duce ferente fama ad nos detulit: saeve nimis et crudeliter illum imperitasse rumor erat. Denique plus viginti episcopos ac abbates, quos ad prandium evocaverat, post epulas capite caedi fecit. Quod forsan tyrannidem eius metuentes, vulgus priusquam acciperet, ab eius favore averterant. Postquam dum etiam saeviret in vulgus, populares vel etiam nobiles, quique ducis Holstadiensis finitimi (et qui erant e stirpe regia) freti adiutorio tyrannum regno exegerunt. Hunc anno sequente *Albertus* marchio *Brandenburgensis* summus ordinis

teutonicorum magister multa militum evocata manu in regnum visus est reducere; sed eius conatus irriti fuerant. Uxor exacti regis, *Caroli* caesaris soror afflicta, exilii taedio post aliquantum temporis vita excessit.

Barones *Michael ab Sitzingen* et *Joannes a Puecheim* Augusti die nona in *nova civitate Austriae* oppido *Ferdinandi archiducis* iussu capitis pertulerunt supplicium, quod *Maximiliano* caesare vita functo *Caroloque* et Ferdinando defuncti imperatoris nepotibus peregre longeque et in *Hispaniis* existentibus, et quasi nunquam in *Austriam* suam venturis quaedam pii *Maximiliani* ac patriis institutis adversa perverseque ac perperam egissent; undecima deinde eiusdem mensis die doctor quidam cognomento *Sibenburger* et alius e civibus cognomine *Rinderer* et quidam *Munzmaister* et *Schwarz* et *Flaschner* et *Pytsch* et quidam *Schach Hindweil* atque alii aliquot civium Vienensium in eodem oppidulo similem excepere sententiam, quia nonnulla temere egerant adversus eos, quibus a *Maximiliano* dudum provinciae regimen fuerat delegatum. Inter ea vero, quae memorati Barones male gesserant, praecipue memoratur et istud. Infelix quispiam in *Duben* oppidulo *Austriae* efracto sacrario sacrosanctam Eucharistiam Iudaeis vendiderat, qui sacrilegi confessione tandem proditi capti et carceribus fuerunt traditi, Barones autem illi non paucis aureorum millibus corrupti annuerunt, ut fossa humo carceris locupletiores Iudaei evaderent, atque id astu volebant celatum, quasi ipsimet Iudaei tellure effossa prodierint. Is confessus est, se sacram ferro punxisse Eucharistiam, atque tunc illico, ut fatebatur, e sacramento san-

guinis fluor exsiliit: sed fabulam esse incredulus aliquis putaverit, et ego, qui Christo Iesu potentiam non nescio, qui eius gloriae faveo, qui tamen non omni miracula referenti facilem fidem habeo, haesissem, dum mihi referretur, si non is ipse Iudaeus rei veritatem suo fuisset testatus suis atque comprobasset exitu. Ad fidem namque Christi eius corpus et sanguinem sub Evcharistia esse iudaica temeritate probaverat toto corde conversus baptismo a paternis propriisque est emundatus reatibus, et cum plures misericordia ducti, ut ei vita donaretur, voluissent supplicare iudicibus, obstitit et elegit meritam pro noxa mortem sustinere. Quod et ipsum difficilem posset fidem admittere, nisi et hoc probavissent sequentia: nam cum illum sententia addixisset incendio, et ipsi iudices ferro caedi (quo citius leniori mortis genere poenam solveret) annuerent, noluit, sed confessus, se durioris reum supplicii, candentes forcipes et duras incendii flammas patientissime pertulit. Haec eadem tormenta illi cum multa miseratione inferente lictore, frater *Ioannes* ordinis praedicatorii, quem *piscatoris* agnominant ex patris officio, alumnus conventus *Eystetensis* vir dignus fide, pridem mihi retulit, se ea omnia in oppido *Duben* (quod ab Vienna quatuor abest milliaribus) a *Ioanne Scampfel* viro docto et spectatae fidei eiusdem oppidi iudice cognovisse, qui et sacrilegum, qui Iudaeis sacrosanctam Eucharistiam venundederat, sua captum manu Viennam miserat cruciandum. Addidit idem frater *Ioannes* id ipsum audiisse se a *Michaele* lictore, qui ultimam sententiam in illum conversum et patientem hominem fuerat executus. Haec cum ego deinde mirabundus etiam et pro Christi gloria gratulabundus recitarem, assidens quidam plus quam vulgaris

intelligentiae' vir Ioannes *Agricola*, oppidi *Weissenburgi* ad *Noricum* incola, affirmavit, sese *Viennae* dum Neophytus ille conversus Iudaeus supplicia a commiserante lictore patientissime pateretur, adstitisse. In eundem modum quidam a Donawerda interfuisse se retulit. Huic negotio ac narrationi diutius libuit immorari, quo res nostrae fidei gloriosa credibilior esset, atque testatior, simul ut palam fiat, quod nequiores sint etiam *Iudaeis*, et quod insanissime insaniant insani ac furentes *Carolstadiani*, *Oecolampadiani* et Zwingliani haeretici: Lutheri impiissimi doctoris iniquissimi discipuli et iniquissimi patris impiissima soboles. Qui quod nec ipse scelerum sator et auctor Luther audet, audent negare sub sacramento altaris, hoc est, Evcharistia Christi nostri salvatoris esse corpus et sanguinem. Quos scelerate mentiri Iudaeus ille sua temeritate, sua conversione, sua tolerantia, sua patientia suaque morte probavit atque convicit. Hic tamen in huius calce relationis oportet adiicere, Barones illos et cives *Viennenses* non tam illustrissimi *Ferdinandi* iussu, quam publica sententia iudicii addictos fuisse suppliciis.

Rhodus insula, quam fratres militiae ordinis D. *Joannis* longo possederant tempore Turcisque ne Christianis *Italiae* aliisve Christianorum regionibus pro voluntate proque tyrannidis suae libidine semper infunderentur, obstiterant a Iunio mense ad usque Decembris ultimos dies ab Turcarum ninium multis insessa millibus, et urbs ipsa horribili plurimum obsidione cincta atque oppugnata est illiusque moenia et propugnacula omni tormentorum ac machinarum quassata genere, pluribus locis subfossi muri, et vasa incendiario pulvere

plena supposita atque inaestimabilis aenearum saxearumque pilarum vis in urbem a mortariis (quae Trabucas vocant) et ex machinis coniecta omnesque belli corporumque et animorum vires et artes insumptae sunt et adsitae. Duo quoque montes a multis atque uti ferebatur a sexaginta operariorum rusticorum millibus congesta terra ad urbis fossas contraque illius monumenta facti, a quibus cum muris essent altiores, moeniorum propugnatores bombardarum pilis et iactibus perturbabantur. Iactabantur etiam ignitae pilae in urbem, in quibus senae septenaeque et octonae bombardulae flamma concepta pillulas evomentes non paucas hominum ruinas dabant. Milites vero Christinni neque corporibus, neque vitae parcentes militariter et viriliter resistebant bestiis. At erant in urbe non nulli iniquissimi proditores, qui iactis trans muros litteris, quas sagittis alligabant, omnem civitatis statum hostibus significabant. In his erat infelix quidam ex Iudaeo in speciem tantum Christianus factus. Hic medicinam exercendo multos Christianorum necaverat. Coemerat plurimum optimi vini, quod veneno infecerat, idque volebat ad muros collocare, ut Christiani pugnatores defatigati potarent et biberent mortem. Verum prius captus et merito affectus est supplicio, quam cogitatio pessima crudeleque consilium effectum sortiretur. Illud vero praecipue principem civitatis, id est, magistratum ordinis calamitate affecit, quod summus illius cancellarius summus factus erat proditor. Hic per litteras perque ministros Turco, quid cunctis in rebus ageretur, indicabat. Hic omnis angustiae, omnis perditionis et omnis mali origo fuit: dum enim summus ordinis magister et princeps a Christianis quibuslibet efflagitaret

auxilia, et illa praestolaretur eaque spe pios nutriret, fulciret et animaret cives et milites, cancellarius ille pessimus proditor, nequam et latro alias mittebat magistri nomine litteras, quibus sibi non opus esse suppetiis significabat. Itaque omnium auxiliis destituti frequentissimis et horrendissimis oppugnatorum assultibus delassati ac imminutione civium vitam internecioni, matronarum virginumque pudicitiam hostium rabidae libidini tradiderant immanique saevaeque bestiae Turco urbem in die Natalis domini Iesu dederunt. Perfidus*) hostis fidem servavit miseris, et ut pactus fuerat, salvos sivit urbe excedere, qui navigiis sunt in diversa digressi.

Haec dum apud *Rhodum* agerentur, fratres eiusdem ordinis et militiae in *Alemania Spirae* conventu habito sex elegerunt fratres milites e nobilibus *Teutoniae* progenitos, quos cum trecentis peditibus *Rhodum* fratribus miserunt in auxilium. Qui iter ingressi, dum aliquantum viae fuissent mensi agnovissentque *Rhodum* iam perditam, in Germaniam redierunt. Isti autem selecti erant milites: frater *Eithel Hans de Wernaw* von *Grach* commendator sive praeceptor domus *Erlingae* prope *Nordlingam*. *Petrus ab Engelberg* commendator in *Basilea*. *Conradus Schwalbach*, commendator in *Uberlinga*. *Dietrichus a Cappel* commendator in *Steinforde* in *Westphalia*. *Georgius Schilling*, commendator in *Suez*, et commendator in Preysach ad littus *Rheni*, eius quidem viri non teneo nomen. *Rhodi* etiam perditio e fructibus doctrinae maledicti Lutheri; inter enim alia docuerat, Turcis non

*) Si fidem servavit, quomodo perfidus?

debere resisti. Et dum malesuada, malesana maledictaque sua doctrina inter Christicolas sevisset discordias, et illorum disiunxisset animos, atque quorumvis ordinum viros in vulgi traduxisset odium et invisos fecisset et esse vilipendio, secutum est, ut minor cura fuerit subveniendi fratribus in Rhodo contraque Turcas laborantibus. Hinc templorum Christi dicatorum devastatio, hinc sacrorum profanatio, hinc fidei corruptio, hinc divini cultus desolatio, hinc Christianorum eversio morum castitatisque naufragium. His laetatur diabolus, his Sathanas pascitur. Has illi voluptates, hae gaudia, has illi epulas suus Luther abunde suppeditavit. *Franciscus a Sickingen* Septembri mense valido copiosoque equitum peditumque coacto exercitu Trevirensem ingressus dioecesim facili negotio coepit oppidulum, quod *sancti Wendeslini* dicitur. Egit deinde copias ad *Trevirorum* muros et moenia, et illa tormentis quassabat et machinis. Tum dux *Fridericus* comes Palatinus caesaris locum tenens *Francisco* mandavit per litteras comminatorias feroci coepto desistere. Ille vero tumens superbia ait ad nuntium: *sag dem Stathalter das er gemach thue, es gehört mehr dan brief dazue.* Dic, inquit, vicario, ut tarde sustinet, ad hanc rem plus quam litteris opus est. Ad diem deinde Octobris decimum idem *Franciscus* a *Ferdinando* illustrissimo archiduce *Austriae* nomine *Caroli* Serenissimi caesaris eiusque vice, ut publicus et contumax pacis turbator et hostis proscriptione bannove imperiali notatus atque damnatus est. Dum vero illustrissimus *Ludovicus* Palatinus Rheni princeps elector, et *Philippus Hassiae* toparcha collegissent exercitum, vel *Trevirensi* archiepiscopo laturi subsidium, vel sibi prospecturi, ne, dum proximus arderet paries,

ad se quoque flammae deserperent, abducto a *Treviricorum* civitate exercitu dioecesin crudeli vastavit incendio. Ad haec illum suapte sponte ferocem incitabant, quos habebat a consiliis, et quod ecclesiasticos omnes volebant pessundatos. *Ulricus ab Hutten* quidamque cognomine *Bützer* praedicatorii ordinis Apostata et *Hartmuet* a *Chronburckh*, qui secundum nomen suum durae mentis homo non minus *Ulrico Hutteno* Lutherana insaniens haeresi inexsaturabili odio furebat in ecclesiasticos. Quia vero idem *Hartmuet Franciscum* dum *Trevericam* vastaret dioecesin fuerat comitatus Palatinus elector *Hassiaeque* princeps missa parte exercitus *Chronburckh* arcem non admodum procul *Franckfordt* sitam obsideri fecerunt, quae et capta in potestatem ipsorum principum venit. Cumque deinde fama divulgasset, quosdam nobilium curiae *Moguntinae Francisco* clandestinum praestitisse subsidium indignati memorati principes id facinus ulcisci decreverunt et vindictam a *Moguntino* archiepiscopo expetere. Verum archipraesul pacem pecuniis anteferens iam ardescentem belli flammam non paucis, ut rumor erat, aureorum millibus restinxit.

Anno domini MDXXIII.

Francisco a Sickingen adhuc tumente et inflato superbia liventeque et odio Lutherano in clericos minabundo missi sunt ab Illustrissimo Ferdinando *Dietrichus Spett* et *Rudolphus Häl* inter Sueviae Nobiles prudentia et bellicae rei scientia haud ignobiles, ut Francisco suaderent, pacem cum principus pro Germaniae communi bono amplecteretur, et se non belli incerto committeret eventui fortunam non semper eadem se facie praelia tractan-

tibus ostendere; satis eatenus clementer a fortuna respectum, si bellum quam pacem mallet, fore, ut aliquando non eosdem experiret successus.

Franciscus de sua fide, de Evangelii amore deque iustitia sua sibi placens et gloriabundus, ut Lutherani solent, respondit: A saeculis semper fuisse aliquem, quo Deus quasi instrumento usus peccatis lasciviens mortalium genus attriverit; persuasum sibi esse, quo Deus veluti flagello Ecclesiasticorum petulantiam velit caedere, affuturum sibi ex Germania atque Gallia bellatorum non contemnendam manum, decretum sibi id exequi, ad quod se Deus elegerit. Hanc *Francisci* mentem cum *Trevirensis* archiepiscopus, Reverendissimus dominus a *Greiffenkloe*, Illustrissimus Palatinus dominus *Ludovicus* et *Philippus Hassiae* Landgravius cognovissent, se nive soluta vernum tempus ariete, solem vehente accederet, in commune ad bellum paraverunt. Cum enim ad Rheni fluenta illorum finitimae siut provinciae, arbitrati sunt, commune sibi confineque fore periculum. Erant *Francisco* arces binae, *Nanstat* et Ebernburgk, quarum *Ebernburgk* natura et arte erat munitissima. Ratus est Franciscus, principes ea opinione teneri, quod ipse in *Ebernburgk* munitiori scilicet arce sua se tutiorem fore confisus, illic eorum vires esset experturus, atque ideo eidem arci primum rebatur admoturos exercitum; ea suspicione deceptus (nam urgebant illum fata in interitum, sive verius superbia in ruinam) ad *Nanstat* se contulit, existimans, sibi illuc sociorum occursura subsidia, quibus posset oppugnaturos *Ebernpurgum* veluti ex insidiis proruens inexspectatus opprimere. At non solus eiusmodi belli dolos et artes noverat: ductor enim

exercitus principum id suspicatus quod erat, non in *Ebernpurgo*, sed in *Nanstat* illum delitescere, litteras misit, quibus illi inimicitias et bellum indicabat, mandatis nuntio datis, ut omni arte pervestigaret, si *Franciscus* in *Nanstat* adesset secutus simul cum equitum parte nuntium, quo rei veritate comperta conficiendo negotio nulla mora fieret. Ut vero cognovit ex nuntio, hostem illic esse, ubi illum inveniri volebat, nihil moratus illuc cum copiis advolat, et equites ita per arcis circuitum collocat, ut nullus posset nec per cuniculos, quos habere putabatur, evadere. Circumsessa itaque arce a quingentis equitibus militiae princeps exercitum adduxit et machinas, quibus muri et propugnacula ita sunt irrequiete quassata, ut rarus in eo exercitu esset, qui simile viderit.

Franciscus rem tam serio agitari videns discurrit, disponit omnia, hortatur socios et laborantibus ac non nihil metuentibus addit animos. Sed fortuna (vel Sathanas, qui quibusdam successibus eius mentem extulerat, ut durius eum crudeliusque elideret) nunc alio vultu respectans illum et inimico complexu contrectans favore destituit ac misere perdidit. Dum enim discurrit in arce, trabis cuiusdam fragmen pila tormenti decussae in eius adactum latus saevum ac lethale vulnus intulit. Quod ubi accidit, eius nutu tribus illis principibus arx est dedita. Ingressi princípes *Franciscum* lecto decubantem atque moribundum adiere. Cumque *Trevirensis* et *Hassiae* princeps interrogassent, cur adversum illos tam egisset hostiliter, aversatus eos parum aut nihil respondit. Palatinus vero, qui ei magis fuerat metuendus, paucis quidem verbis, sed mitius est locutus. Digressis deinde principibus tumen-

tumentem illum ac trucem spiritum evomuit. — Magnus fuerat Franciscus, et a Caesare atque a Principibus insignibus ac magnis honoratus stipendiis, quae renuntiavit omnia, dum eum dominandi malignandique libido cepisset. Cumque sua sorte magnitudineque non contentus, voluit esse maximus, casu miro contritus, redactus est ad nihilum.

Ebernburgk deinde milliario ab oppido *Creuzenach* sita, memoratorum principum iussu et opera capta, exusta ac diruta est. Quod et cum arce *Drachenfels*, quae quibusdam milliariis super *Spiram* visebatur, cumque *Hohenberg* et *Luzelburg* actum ferebatur, quia in hisce Francisci socii fuerant diversati. *Volaterranii* Cardinalem, rumor attulit, hac aestate *Adriani* summi Pontificis iussu raptum ac carceri traditum, quod *Galliae* regi gratificatus *Siculos* solicitaverit, ut a Caroli Caesaris obedientia discederent, quodque Turcas, uti *Anconae, Apuliaeque* portus occupare debuissent, evocaverit. Huius proditionis tractatus, scriptaque et literae in *Mediolanensi* arce repertae sunt, cum eam Galli, qui illic in praesidio fuerant, peste fameque defatigati *Mediolanensi* duci pro Caesare tuendam dedissent.

